Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1729

Quelle:
Copyright:

Codice Characteres, sive *Alphabetum Hildegardinum*, quod, cum fortassis Codices eo exarati alicubi extent, hic aeri incisum exhibere Lectori juvat.

Fol. demum 503. comparet *coelestis* illa *Harmonia*, cujus meminit *Matthaeus Westmonast.* ad an. 1292. edit. ut semel dicam, *Francof. 1601. p. 417. f.* et de qua in Vita *Hildeg.* L. II. c. 1. legas: *Quis vero non miretur, quod cantum dulcissimae melodiae mirabili protulit symphonia.* Constat vero illa primum *Antiphonis* de Deo, de S. Maria, de Angelis, de Patriarchis et Prophetis, de Apostolis, de S. Johanne Evang. de Martyribus, de Confessoribus, de S. Dysibodo, de S. Ruperto, de Virginibus, de XI. Millibus Virginum, in Dedicatione Ecclesiae, dein *Hymnis* et *Sequentiis* de S. Spiritu, de S. Maria, de S. Mathia, de S. Bonifacio, de S. Dysibodo, de S. Euchario, de S. Ruperto, de XI. Mill. Virginum, tandem *Virginum Symphonia*, et Dramatio musico, quod inscribitur: *Incipit ordo uirtutum*, et citatur a *Trithemio n.* 405. titulo *Carmina diversa.* Omnia haec notis musicis Schemate 4. linearum comprehensis instructa sunt, modulis ipsis ab Antistita nostra, ut videtur, una cum Textu dictatis. Ut Textus specimen edam, en primam Antiphonam. *O uis eternitatis que omnia ordinasti in corde tuo. Per uerbum tuum omnia creata sunt sicut uoluisti, et ipsum uerbum tuum induit carnem in formatione illa que educta est de adam, et sic indumenta ipsius a maximo dolore abstersa sunt. O quam magna est benignitas saluatoris qui omnia liberauit per incarnationem suam quam diuinitas expirauit sine uinculo peccati. Et sic Gloria patri et filio et spiritui sancto. Et sic.* In Dramatio partes suas habent chorus *Virtutum, Patriarchae et Prophetae, Animae in carne positae, Anima felix, Scientia Dei, Humilitas, Charitas, Timor Dei,*